Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Iacobo

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

De .S. Jacobo int'c.

Jacobus martyr cognomento
intercisus nobilis genere sed fide no-
bilior, ex regione Persarum et civitate
Elape oriundus fuit. Hic ex christianissimis
parentibus ortus et uxorem christianissimam
habuit. Erat autem notissimus regi Persarum
et inter optimates primus. Accidit autem ut
a principe nimio amore seductus et ad
colendum ydola flexus fuerit. Hoc autem mater et
uxor audientes per litteras sibi scripserunt di-
centes: Obediendo mortali deseruisti
eum qui vita est, placendo futuro cinis pu-
tredinem deseruisti sempiternum odorem,
veritatem in mendacium commutasti et mor-
tali obtemperans vivorum ac mortuorum
iudicem reliquisti. Scias igitur nos amo-
do te futuras extraneas nec tecum deinceps
aliquatenus moraturas. Cum autem has
litteras Jacobus legisset amare flens ait:
Si mater mea que me genuit et uxor mea
tamquam extranee facte sunt, quanto magis a
me extraneus factus est deus meus. Ergo cum pro er-
rore suo se plurimum affligeret, nuncius
venit ad principem qui diceret Jacobum christia-
num esse. Quem princeps ad se vocans dixit:
Dic mihi utrum nazarenus es. Cui Jacobus: Eti-
am nazarenus sum. Et ille: Ergo magus es.
Cui Jacobus: Absit a me magum esse. Cum-
que ei multa supplicia minaretur, dixit
Jacobus: Non me conturbant mine tue dire,
tamquam flatus super petram furor tuus au-
res meas cito pertransit. Cui princeps:
Noli insipienter agere ne gravi mor-
te pereas. Cui Jacobus: Hoc non mors sed
sompnus potius est dicendum, cum post
modicum resurrectio tribuatur. Cui prin-
ceps: Non te seducant nazareni dicen-
tes mortem sompnum, quam magni impera-
tores timent. Cui Jacobus: Nos non time-
mus quia de morte ad vitam transire spe-
ramus. Tunc princeps de consilio amicorum
hanc super Jacobum tulit sententiam ut ad
aliorum terrorem Jacobus membratim puniatur.
Cum autem quidam ex compassione secum flerent,
ille ait: Nolite super me flere sed vos ipsos
plangite, quia ego ad vitam pergo et vobis
supplicia eterna debentur. Tunc carnifi-
ces pollicem manus eius dextere absciderunt.
Et clamans Jacobus ait: Liberator na-
zarene suscipe ramum arboris miseri-
cordie tue. Nam a cultore vinee sarmentum
absciditur inutile ut postea germinet et tu-
moribus coronetur. Cui carnifex: Si as-
sentire vis, ad te parco et medicami-
na adhibeo. Cui Jacobus: Nonne per-
spexisti stipitem vitis, quia cum ampu-
tantur sarmenta, ille nodus qui remanet
in suo tempore cum terra calescit, capit per
singula abscisionis loca producere ger-
mina. Si igitur vitis amputatur ut in vi-
cissitudine temporis germinet, quanto magis
fidelis homo qui in vera vite est compac-
tus. Tunc accedens carnifex secundum absci-
dit digitum. Sanctus autem Jacobus dixit:
Suscipe duos ramos quos planta-
vit dextera tua domine. Abscidit et tertium
et dixit Jacobus: Ex tribus temptationibus
liberatus benedicam patrem et filium et spiritum sanctum.
Et cum exceptis decantando psalmista: Confi-
tebor tibi dixit et in choro decem psallam
nomini tuo. Abscisus est et quartus. Et
Jacobus dixit: Protector filiorum Israel qui in
quarta benedictione pronunciatus, suscipe
a servo tuo confessionem quarti digiti tamquam
in Iuda benedicti. Absciso quinto dixit: Com-
pletum est gaudium meum. Tunc carnifices dix-
erunt ei: Parce iam anime tue ne pereas,
nec contristeris si unam manum amisisti,
quoniam multi sunt qui tantum unam manum habentes
et multis divitiis et honoribus habun-

De sancto Jacobo intercis(o)

dantes. Beatus iacobus dixit. Cum pastores incipiunt pascha tondere nunquam dexterum tantum vellus auferunt. Si igitur pecus quod animal brutum est totum licet vellus amittat, quanto magis ego homo rationalis non dedignabor pro deo occidi. Accedentes igitur impii ad sinistram manum digitum minimum absciderunt. Et iacobus dixit. Tu domine cum magnus esses minimus et parvus pro nobis fieri voluisti. Et ideo tibi reddo corpus et animam quae creasti et pro quibus sanguinem redemisti. Abscidunt .vii. digitum et ait. Septies in die laudem dixi domino. Abscidunt octavum et dixit. Octavus die circumcisus est christus. et octavo die circumciditur hebraeus ut transeat ad legales caerimonias et mens servi tui domine transeat ab his incircumcisis et eorum inquinatis habitibus praeputii ut veniam et aspiciam faciem tuam domine. Incidunt nonum digitum et ait. hora nona christus tradidit spiritum et deinceps spiritum. Unde et ego domine in dolore noni digiti tibi confiteor et gratias ago. Incidunt .x. et ait. Denarius numerus est in praeceptis et iota sive I quod est principium nominis Ihesu christi est. Tunc de astantibus dixerunt. O dilectissime quod tantum nunc profiteris tamen confitere ut valeas. Licet enim abscisae sint manus tuae sunt tamen peritissimi medici qui tuis doloribus valeant subvenire. Quibus iacobus dixit. Absit a me nephanda simulatio. Nemo enim mittens manum suam ad aratrum et aspiciens retro aptus est regno dei. Tunc indignati carnifices accesserunt et pollicem pedis dextri absciderunt. Et iacobus dixit. Pes christi perforatus est et sanguis exivit. Abscidunt secundum pedis digitum et ait. Magnus mihi dies hic est prae omnibus diebus. hodie quippe ad deum fortem conversus ibo. Abscidunt et tertium et ait in ipsum procedit. Et subridens iacobus dixit. Vade tertie

digite ad socios tuos et quemadmodum granum tritici multum fructum affert. ita et tu in novissimo cum sociis tuis requiesces. Abscidunt quartum et ait. Quare tristis es anima mea et quare conturbas me. Spera in deo quoniam adhuc confitebor illi. salutare vultus mei et deus meus. Abscidunt et quintum et ait. Nunc incipiam dicere ad dominum quia dignum me fecit socium servorum suorum. Tunc accedentes ad pedem sinistrum digitum parvum absciderunt. Et dixit iacobus. Digite parve confortare quia magnus et parvus unam habent resurrectionem. Capillus capitis non peribit quanto magis tu minimus a sociis tuis separaberis. Abscidunt secundum et iacobus ait. Destruite veterem domum quia splendidior paratur. Abscidunt tertium et ait. Incus ictibus firmatur. Abscidunt quartum et ait. Conforta me deus veritatis quoniam in te confidit anima mea et in umbra alarum tuarum sperabo donec transeat iniquitas. Abscidunt et quintum et ait. Ecce vicies domine immolabor. Tunc accedentes pedem dextrum absciderunt. Et dixit iacobus. Nunc offeram munus caelesti regi pro cuius amore haec patior. Absciderunt et pedem sinistrum et beatus iacobus dixit. Tu es deus qui facis mirabilia exaudi me domine et salva me. Absciderunt dextrum brachium et ait. Lauda anima mea dominum. laudabo dominum in vita mea. psallam deo meo quamdiu fuero. Absciderunt et brachium sinistrum et ait. Circumdederunt me dolores mortis et in nomine domini vindicabor in eis. Tunc accedentes absciderunt suram dextri cruris usque ad femur. Tunc beatus iacobus inaestimabili dolore cruciatus exclamans ait. Domine ihesu christe adiuva me quia circumdederunt me gemitus mortis. Et ait carnificibus. Carne nova me dominus induet quam nulla vulnera maculare nequibunt. Iam carnifices defecerunt eo quod a prima hora diei usque ad no

ua in eis talionem sudasset. Tunc unus acce-
dens sinistri cruris suram abscidit
usque ad femur. Tunc exclamans beatus
dixit: Dominator domine exaudi me semivivum qui es vi-
vorum et mortuorum dominus. Digitos quos non
habeo ut ipsos ad te porrigam, non ma-
nus ut eas ad te extendam, pedes mei trun-
cati et genua mea demolita ut tibi va-
leam flectere, et sum velut casura domus ab-
latis quibus sustentabatur columpnis. Ex-
audi me domine Iesu Christe et educ de carcere animam
meam. Hec autem cum dixisset, unus de carnificibus
accessit et caput eius amputavit. Christiani
autem occulte accesserunt et corpus eius rapientes
honorifice sepelierunt. Passus est autem
V. kal. decembris.

De s. Pastore abbate

Pastor in heremo multis annis in absti-
nentia magna se affligens multa san-
ctitate et religione pollebat. Cum autem
mater eius ipsum et fratres eius videre desideraret et non ob-
tineret, observavit die quadam ad ecclesiam venientibus
protinus se eisdem obtulit. At illi fugientes
et cellam intrantes in faciem eius hostium clause-
runt. Illa autem ad hostium stans cum nimio fletu
clamabat. Pastor autem ad hostium veniens
dixit ei: Quid sic clamas, o vetula? At illa au-
diens vocem eius amplius clamans ait flens
et dicens: Volo vos videre filii mei. Quid est
si videam vos? Numquid non sum mater vestra que
lactavi vos? Et iam tota canis sum plena.
Cui filius: Hic nos vis videre an in alio seculo?
Et illa: Si hic non video vos, illic videbo, fi-
lii? Et ait: Si equanimiter hic valeas non vi-
dere nos, illic procul dubio nos vide-
bis. Et discessit gaudens: Si vos illic visu-
ra sum, hic nolo vos videre. Iudex
provincie cum abbatem Pastorem videre cuperet
et nequiret, filium sororis sue tamquam ma-
lefactorem tenuit et in carcerem posuit di-
cens: Si Pastor venerit et pro eo intercesserit

eum dimittam. Mater ergo pueri ad hostium ve-
nit plorans. Dum vero nec sic responderet, cepit
dicere: Si viscera ferrea habes et nulla compassione mo-
veris, saltem misericordia sanguinis flectaris, quia
unigenitus meus est. Ille autem manda-
vit ei: Pastor filios non genuit. Et cum do-
lore discederet, dixit: Quod iudex saltem ver-
bo iubeat, et eum dimittam. Ille autem reman-
davit dicens: Examina causam eius secundum leges et si
dignus morte est, prius moriatur. Si autem
non est, quod tibi placet fac. Docebat autem fratres di-
cens: Custodire et se ipsum considerare et di-
scretionem habere operationes sunt anime. Paupertas,
tribulatio et districtio sunt operationes solitarie
vite. Scriptum est enim: Si fuerint hi tres viri
Noe, Iob et Daniel etc. Noe personam habet
non possidentium, Iob tribulatorum, Daniel
discretorum. Si duas res oderit monachus
potest in hoc mundo liber esse. Et querenti fratri que essent
dixit: Carnalem requiem et vanam glo-
riam. Si vis requiem in hoc seculo et in futuro in omni causa
dic: Quis sum ego? Et non iudices quemquam. Cum quidam
frater congregationem offendisset, abbas de consi-
lio cuiusdam solitarii eum expulit. Et quia flen-
do desperaret, abbas Pastor eum ad se ad-
duci fecit. Et benigne consolans misit
ad illum solitarium dicens: Audivi de te et
videre te desidero. Fatiga ergo te usque ad me.
Qui cum venisset, dixit Pastor: Duo homines
erant quorum uterque habebat mortuos suos.
Relicto autem uno mortuo suo et abiit
plorare mortuum alterius. Et solitarius
audiens et intelligens in sermone compunctus
est. Cum quidam frater Pastori dixisset se pertur-
batum esse et locum deserere velle eo quod
ibi quendam de quodam fratre audisset quod non edi-
ficaret, dixit Pastor: fidele hoc ubi dicitur
esse ita non est. Ille vero ita esse asserebat
quia frater fidelis ei retulit. Cui Pastor:
Non est fidelis qui dixit; nam si fidelis esset